

ARTICULUS III.

Utrum character sacramentalis sit character Christi?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA,

I. Quam in corpore articuli sic ostendit S. Thomas. Supponit enim ex dictis in his duobus articulis, quod character est quoddam signaculum, quo homines ad aliquid deputantur, sicut pecunia ad usum commutationum, et milites ad pugnae exercitium. Character ergo cum ordinetur ad deputandum homines ad aliquid spirituale, oportet videre quomodo illos deputet. Homines autem spiritualiter deputantur dupliciter; uno modo ad fruendum Deo in æterna beatitudine, etsic signantur per gratiam, ut patet Ezechiel ix: *Signa thau super frontes dolentium, etc.* et Ephes. iv: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis*: alio modo deputantur et designantur homines ad ministrandum ea, quæ pertinent ad cultum Dei in religione christiana, quæ sola est vera et sanctificativa hominum. Et ad hanc designationem deservit character: ita quod sicut designantur et secernuntur electi et justi a reprobis et injustis per gratiam, sic secernuntur ministris veræ religionis et cultus Dei a ministris diaboli per characterem. Cum autem cultus Dei, et christiana religio tota derivatur a sacerdotio Christi: *Qui est pontifex assistens futurorum bonorum*, Hebr. ix; ergo oportet quod character deputativus ad cultum Dei, sit character spiritualiter derivatus a sacerdotio Christi, et ei spiritualiter configurans; et ideo dicitur character Christi.

II. Notandum est pro hujus intelligentia, quod Christo Domino con-

venit sacerdotium secundum quod homo: divinitas enim capax sacerdotii non est, quia ut notavit S. Thomas III part. quæst. xxii, art. i officium sacerdotis proprie est esse mediatorem inter Deum et populum, in quantum populo tradit divina, et Deo offert preces populi; Christus autem non secundum quod Deus, sed secundum quod homo mediator noster est, ut ex Augustino libro ix de civitate Dei, cap. xv determinat S. Thomas III parte, quæst. xxvi, art. ii. Convenit autem Christo esse mediatorem et sacerdotem, secundum quod nobis tradit divina, et dona supernaturalia largitur, secundum illud: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, Ephes. iv, et secundum quod nos reconciliat Deo Patri. Et utrumque habet ex eo quod habet gratiam capitis, unitus in Persona Filio Dei.

III. Character ergo et est qualitas derivata in nos effective a tota Trinitate, et specialiter participative et exemplariter a Christo, secundum quod sacerdos; et ideo magis appropriatur characteri Christo, quam Patri aut Spiritui sancto, quia licet a tota Trinitate sit productio ejus, id tamen quod producitur est participatio quædam, et ministerialis potentia sacerdotii Christi; et ideo secundum hanc specialitatem habet esse character Christi, et derivari a Christo. Et quia hoc habet Christus ut hypostatice unitus Verbo, sub hac ratione habet specialius esse character configurativus Verbi et Christi quam Patris aut Spiritus sancti, licet ab omnibus producat.

IV. Itaque in exemplaritate et participatione character respicit sacerdotium Christi, et consequenter Christum secundum quod homo; in quo differt a gratia, quæ est immediata participatio naturæ divinæ;

et ideo non respicit gratiam Christi, aut Christum secundum quod homo in participatione et exemplaritate. At vero in efficientia character est effective a tota Trinitate, et ab humanitate Christi, solum instrumentaliter, sicut alia supernaturaliter dona; et sic dici potest character Trinitatis effective, Christi autem participative et exemplariter.

ARTICULUS IV.

Utrum character sit in potentiis animæ sicut in subjecto?

I. Duæ conclusiones ex articulo eliciuntur. Prima ex corpore articuli: Character non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in aliqua ejus potentia.

II. Secunda conclusio solutione ad tertium: Character est sicut in subjecto in potentia cognoscitiva, scilicet intellectu.

III. Primam conclusionem præter argumentum Sed contra, probat S. Thomas in corpore articuli hoc modo. Character est signaculum, quo quis ordinetur ad tradendum vel recipiendum ea, quæ sunt cultus Dei; cultus autem Dei in actibus consistit: ergo signaculum illud ordinetur ad actus in quibus consistit et exercetur cultus Dei. Ad actus autem non ordinetur immediate essentia, sed potentia; essentia enim solum ordinetur immediate ad esse, non ad agere, in essentiis limitatis: ergo character non habet pro immediato subjecto essentiam, sed potentiam animæ.

IV. Sed huic rationi objicit Suarez disput. xi, set. iv dicens, quod non omne quod ordinetur ad aliquos actus, oportet quod sit in potentiis, nisi ordinetur ad illos secundum rationem principii efficientis, aut

coefficientis; quod autem ordinetur ad actus sicut signum, non oportet esse in potentia, sed sufficit quod sit in quacumque parte subjecti commodiori ad significandum; character autem ordinetur ad actus sicut signum, non sicut principium, et sic non concluditur quod sit in potentia.

V. Sed in hac impugnatione supponit Suarez, quod character sit solum potentia moralis; nam signum ut signum solum ordinetur ad rem significatam, non autem ad actus aliquos exercendos; character autem licet sit signum, et relationem habeat ad rem signatam, tamen ejus essentia non consistit in ratione signi, alias ejus essentia esset relatio, sicut essentia signi relatio et ordo est ad rem signatam. Cum autem essentia ejus sit qualitas, et ratione hujus essentiæ ordinetur ad actus in ordine ad quos qualitas illa deputativa et characteristica imprimatur, inde est quod non in ratione signi, sed in ratione qualitatis impressæ, et derivatæ a Christo ordinetur ad actus. Unde licet ratio signi moraliter ad actus ordinari possit, tamen quod physice et ex ratione qualitatis ordinetur, oportet quod sit in illo subjecto immediate, quod immediate ex se respicit actus; et tale subjectum potentia est.

VI. Vis ergo argumenti S. Thomæ est: Qualitas, quæ ex ratione qualitatis ordinetur ad actus, non debet immediate esse in essentia animæ, sed in ejus potentia, ratione cujus ordinetur anima ad agendum, et non ad esse. Character autem non ordinetur ad actus secundum rationem signi, seu relationis, sed secundum rationem qualitatis, et essentiæ absolutæ: ergo oportet quod sit in potentia, et non in essentia animæ.

VII. Secunda conclusio ostenditur a S. Thoma, quia character or-

dinatur ad cultum Dei secundum quod consistit in protestatione fidei sensibiliter facienda, in tradendis vel recipiendis sacramentis: ergo oportet quod character sit in potentia, in qua est fides, ad cuius exteriorem protestationem ordinatur: ergo debet esse in intellectu.

VIII. Et hanc etiam rationem non admittit Suarez; tum, quia non oportet signum esse in eodem subjecto, in quo est res significata; tum, quia si ratio hæc aliquid probat, magis probaret esse in voluntate, quia religio, quæ in voluntate est, elicit ea quæ pertinent ad cultum Dei, licet a fide dirigi possit: ergo magis in voluntate, quam in intellectu ponendus est character, si ad cultum Dei spectemus.

IX. Nihilominus non recte penetravit Suarez rationem S. Thomæ, nam cultus Dei ut respicitur a religione, respicitur ut digne et bene fiat et religiose: character autem non ordinatur ad cultum Dei religiose fiendum, sed sacramentaliter valide; unde non debet pertinere ad potentiam in qua est religio, sed ad illam unde oritur ipsa sacramentalis fidei protestatio valide et sacramentaliter facienda; et ita character ordinatur ab aliquid religiosum ex parte objecti, non ex parte subjecti, id est, ut aliquod opus religiosum fiat, non vero ut religiose fiat; et ita non debet esse in voluntate, quæ subjectum bene ordinat, sed in intellectu, qui opus ordinat religiosum. Et licet signum non debeat esse ubi est res significata, tamen character non est signum tantum, sed principium sacramentaliter operandi; et ideo non ubi est res significata, sed ubi est principium operationum et effectuum suorum, qui pertinent ad protestationem fidei, collocari oportet; quos respicit, non secundum quod bene, sed secundum quod vere fiunt; et ita

potius ordinatur ad actus sub ratione veri, quam sub ratione boni.

DUBIUM UNICUM.

UTRUM OMNIS CHARACTER SIT TAMQUAM IN SUBJECTO IN INTELLECTU?

Conclusio est negativa.

X. Pro cuius intelligentia, et rationis S. Thomæ, considerandum est quomodo character ordinat ad cultum sacramentalem Dei secundum rationem veri, et non secundum rationem boni. Est autem advertendum, quod character est participatio quædam, et derivatio a sacerdotio Christi, ut dicit S. Thomas articulo tertio, secundum quod ipse per sacerdotium suum instituit religionem christianam, et eos, qui huic religioni ministrare deberent, quædam sacerdotii huius participatione insignivit. Sacerdotium autem in Christi Domino ad duo ordinatur, scilicet ad communicandum divina fidelibus; dicitur enim sacerdos, quasi dans sacra, secundum illud Malach. II: *Legem requirent ex ore ejus*, id est, sacerdotis: et deinde ordinatur ad offerendum preces populi et fidelium ad Deum, et ut pro eorum defectibus mediet et placet Deum, secundum illud Hebr. V: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*: quod explicat late S. Thomas tertia parte, quæst. XXII, articulo primo. Ad exercenda autem ista duo, quæ sacerdotium expostulat, oportet sacerdotium esse in intellectu, et non in essentia animæ, vel in voluntate; præsertim adjungendo quod per tale sacerdotium institui debet religio et cultus christianus.

XI. Etenim communicare hominibus divina debet fieri per actum intellectus similiter et offerre nos Deo, ipsumque pro nobis placare, actu intellectus fit. Institutio etiam christianæ religionis per intellectum instituentem et dirigentem debet fieri; in qua institutione primo et per se attenditur, quod tales aut tales cæremoniæ instituuntur, quibus homines in unum nomen religionis coadunantur, et sanctificari possint. Hæc autem omnia peragere, nec ad essentiam animæ pertinet, nec ad voluntatem, sed ad intellectus directionem: etenim offerre, et interpellare ad Deum, actus intellectus sunt. Offerre enim est exhibere aliquid alteri, dirigendo illud in ipsum. Exhibitio autem seu manifestatio per intellectum fit: interpellatio etiam constat quod fiat per intellectum; dare autem seu tradere sacra aliis, per intellectum fieri debet, dirigentem id quod tradit ad alterum.

XII. Igitur oportet, quod sacerdotium in intellectu, non in voluntate aut essentia animæ, quatenus ea quæ exequitur, sive offerendo, sive interpellando, sive dando sacra, ex intellectu pendent: unde et dicitur, quod: *Legem requirent de ore ejus*, Malach. II, quod prorsus ad intellectum pertinet hæc sacra dare. Quod si etiam instituat cultum et religionem ac cæremonias, manifeste id debet facere intellectus, sic instituens aut dirigens. Si ergo sacerdotium Christi debet esse aliquid ad intellectum pertinens, character qui est participatio talis sacerdotii exequens ministerialiter id, quod sacerdotium Christi principaliter, debet etiam ad intellectum pertinere, si quidem participatio quasi diminuta sacerdotii Christi ad idem debet pertinere et ordinari, ad quod ipsum sacerdotium Christi, et secundum eamdem potentiam operari.

XIII. Et pro ampliori huius explanatione notandum, quod sicut dicit S. Thomas III, part. quæst. XXII art. I ad secundum et tertium: « Sacerdotium Christi est potestas hierarchica suprema, quæ fundatur in plenitudine et eminentia gratiæ, per quam est simul rex et sacerdos, etc. » Eminentia autem gratiæ Christi, constituit ipsum caput Ecclesiæ, ut dicitur quæst. VI, art. V et VI: et idem est esse caput et pontificem æternum. Caput autem est et quoad interiorem influxum virtutis, quæ fit per gratiam; et quoad exteriorem gubernationem, qua totum Ecclesiæ corpus gubernat, ut ibi art. VI dicit S. Thomas ex Paulo ad Col. II: « Caput est, ex quo corpus per nexus et conjunctiones ministrarum crescit in augmentum Dei. » Sicut ergo homines per gratiam configurantur Christo in ordine ad gloriam, et virtutem capitis, quam ministrat; sic per characterem configurantur gratiæ Christi ceu capiti, ut gubernanti Ecclesiam, in his quæ sunt cultus christiani. In his autem in quibus Christus se habet ut gubernator supremus, ii qui configurantur ei, se habent ut ministri, I ad Cor. quarto: *sic nos existimet homo, etc.* et II ad Corinth. quinto: *Pro Christo legatione fungimur.*

XIV. Ut autem aliquis sit minister, requiritur primo et per se ut ea, in quibus ministrat, valide faciat, et non vane; id autem quod deputat aliquem ad faciendum aliquid primo et per se, et quantum ad validitatem actus, ut potentia se habet, quia habitus non primo et per se facit actum validum, sed convenientem aut disconvenientem. Et quia est derivatio potestatis Christi gubernativæ et directivæ, quæ fit per actus intellectus, in ordine ad ea quæ sunt protestativa cultus christiani, ideo potestas ejus ministeria-

lis etiam ad intellectum pertinet, in quo est fides. Et licet perdat fides, manet id quo ministratur protestatio fidei. Nec Christus concurrat ibi ad bene vel male ex parte subjecti, sed ad valorem sacramenti; sicut rex designat homines qui validam monetam faciant, et si qui aliter faciunt, non valet. Et licet Christus in his, quæ influit per interiorem et occultam virtutem capitis, permittat mutationem, et non permanentiam in gratia; cæterum in his quæ ad gubernationem pertinent, non admittit mutationem, quomodocumque fiant. Et ideo dicitur Psal. II: *Regere in virga ferrea*, id est, inflexibili; et iterum Psal. CIX: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum, etc.* dominatio ergo ista, etiam in medio male agentium relucet.

XV. Explicatur autem hoc amplius ex ratione S. Thomæ, posita in secunda conclusione articuli, quia scilicet character ordinatur ad ea quæ sunt cultus Dei, qui consistit in quadam protestatione fidei. Cultus enim Dei vel potest accipi ex parte nostra, vel ex parte rerum quibus exercemus huiusmodi cultum. Ex parte quidem nostra cultus Dei est reverentia, quam Deo exhibemus; hoc enim generaliter respicit religio, ut late S. Thomas ostendit 2-2, quæst. LXXXI, et sequentibus. Unde et talem reverentiam Deo exhibere, subjiciendo se illi, pertinet ad voluntatem, in qua residet virtus religionis. Res autem quibus exercemus huiusmodi cultum, sunt ritus aliqui, aut cæremoniæ, aut sacra, quibus protestando excellentiam divinam, secundum fidem quam de ipso habemus, eum colimus. Character ergo non ordinatur ad ipsum cultum Dei in se, et secundum quod ex parte nostra se tenet; per characterem enim operando, etiam irreverenter et irreligiose, po-

test homo tractare divina; sed ordinatur, inquit S. Thomas: « Ad ea quæ sunt divini cultus, » id est, ad res illas, quibus exercemus divinum cultum. Res autem istæ, licet secundum voluntatem religiosam religiose tractentur, et non solum tamquam bonum ex parte objecti, sed etiam bene ex parte subjecti ordinentur in reverentiam divinæ majestatis, tamen secundum quod a characterem respiciuntur, non attenditur quod bene vel male ex parte subjecti fiant; sed quod ex parte objecti fiant quoddam bonum, seu bonus ritus et sacrum, in quo reluceat protestatio fidei divinæ secundum symbola exteriora.

XVI. Ut ergo ministerialiter fiant et exerceantur ea, quæ ad cultum istum divinum secundum protestationem fidei pertinent, necessarium videtur et congruum, ut principium ministrandi illa in eodem subjecto sit, in quo est fides, quia videlicet non datur tantum ut signum, sed ut ministrandi potentia. Et quia ministrat ea, quæ ad fidei protestationem pertinent, et non secundum quod cultus divinus bene fit ex parte subjecti, sed secundum quod verus et bonus est ex parte objecti, ideo non ad voluntatem pertinere debet principium hoc, sed ad intellectum; nec ad essentiam animæ, quia non datur a Deo in ordine ad exequendum ea, quæ sunt cultus divini; sicut sacerdotium Christi non est in essentia animæ, nec datur in ordine ad essentiam et ad esse, sed in ordine ad actus aliquos secundum intellectum ministrandos.

XVII. Est enim character quasi potestas ordinativa, non affectiva; nec datur ut moveat, sed ut ministret quasi mota. Ordinare autem pertinet ad intellectum, et ita character ordinat quid sit agendum, quia respicit quod valide fiat, non

quod bene fiat. Unde dicit Apostolus I Cor. IV: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensatio autem potestatem dicit ministerialem, sed ordinativam, quatenus ordinat et determinat. Dispensatio ergo et distributio mysteriorum, non secundum moralitatem digne et fideliter dispensandi, nec secundum rationem assentiendi et credendi, sed secundum rationem valide conficiendi ea, quæ pertinent ad sacramentalem rationem, et mysterium cultus divini, et christianæ religionis est actus characteris; non producendo actus intellectus, sed eis utendo in ratione ministrandi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Sed contra objicitur primo: Ut character sit in potentiis animæ, vel magis in una potentia quam in alia, oportet quod magis conferat ad actus, seu rationem formalem unius potentiæ, quam alterius; sed character non confert ad potentiam cognoscitivam magis quam ad volitivam: ergo non est ponendus in illa ut in subjecto, sed in essentia animæ. Major certa est, quia subjectum et actus debent proportionari: ergo ut constituamus intellectum subjectum characteris, oportet quod magis proportionetur, et conferat ejus actibus et rationi formali, quam alterius potentiæ. Minor patet, quia ad characterem non pertinet perficere rationem veri, aut rationem boni in cognoscendo aut volendo, sed solum instrumentaliter exequi actus sacramentales; ergo non conducit ad rationem formalem cognoscitivi, quæ non instrumentaliter, sed vitaliter habet tendere in verum.

XIX. Confirmatur primo: Potentia animæ non est capax alicujus

actus, qui nec est actus primus, nec secundus talis potentiæ; character autem neque est actus primus, neque secundus potentiæ, cum nec sit habitus ejus, neque actio: ergo potentia animæ non est capax ejus. Minor constat, et major probatur, nam potentia animæ tota est ordinata ad suos actus, et inclinatio quædam ad agendum; ergo solum perfici potest per qualitatem, quæ pertineat ad activitatem et rationem agendi: ad activitatem autem solum pertinet actus primus aut secundus; ergo solum est capax alicujus actus, qui sit actus primus, vel secundus.

XX. Confirmatur secundo, nam quando aliquid imprimitur alicui rei ut sit signum, debet imprimi in illa parte et subjecto, quod est notius cæteris; substantia autem spiritualis secundum se notior est potentiis, cum sit prior illis, et spiritualiter cognoscenti etiam est prior; ergo cum proportionari ei debet signum spirituale, qualis est character, oportet ut sit in ipsa substantia animæ, tamquam in notiori.

XXI. Ad principale argumentum respondetur, quod character debet conferre magis ad actus, secundum rationem formalem unius potentiæ, non quidem adjuvando, aut perficiendo potentiam secundum modum ipsius potentiæ, sed quia ordinat hominem ad actus proportionem et connexionem habentes cum tali potentia, et ratione formali ejus. Character enim non datur ut habitus, qui præsupponat in anima potentiam tamquam principium actuum, ad quos ordinetur; sed potius ut potentia ab extrinseco adveniens, imperfecta tamen et ministerialis in ratione potentiæ. Unde cum sit potentia ministerialis et extrinseca, non debet radicari in ipsa anima (sic enim esset ei connaturalis) unde nec in essentia animæ debet in-